

DE PHILOSOPHIA SYSTEMATIS UNIPLICIS

TRACTATUS breuis de arte computandi et simplicitate monadica

ANNO Domini MCMLXIX · in clauistro opulento quod a fratribus Bellenfisibus in Colle Murrayensi colebatur · magna confusio mentes magistrorum occupauit · Moliebantur enim opus immane atque scholasticum · Multis nominatum · quod omnes scripturas mundi uno tomo et infinitis glossis complecti debebat · Sed sicut Turris Babelica · hoc monstrum sub propria mole corruit · regulae regulis cumulabantur · uolumen uix gestari potuit · et nemo iam intellexit quid esset fundamentum ·

Tunc duo fratres ingenio acerrimi · Dionysius Riccius et Kenethus Thompsonius · uanitatis taedio affecti · e magna aula discesserunt · In cellam secretam se contulerunt · ubi apparatus neglectus ac modicus iacebat · quem PDP Septimam uocabant · Dixerunt inter se · Cur intellectum obscuramus · Puritas in paruis rebus constat ·

Ibi nouum ordinem excogitauerunt · quem UNIX appellari placuit · Primum dogma eorum erat simplex · Omnia sunt fasciculi · Nihil aliud extat praeter litteras simplices et continua signa pergameni ·

Sed maxima illuminatio orta est cum frater Duglassius Macilrouius scriptorium ingressus est · Uidens fratres uarios textus manu transcribentes · dixit · Cur unus monachus legere · purgare et disponere simul conatur · Sit unus qui pergamenum lustret scrutare alius qui uersus connectat concatena · Coniungamus opera eorum sicut aqua per tubos ducitur ·

Ita inuenta est fistula · Per hanc fistulam fluxus egressus unius fratris statim fit fluxus ingressus alterius · sine mora et sine superfluo pergamento · Briannus Kernighanus · uidens tantam harmoniam · regulam auream mandauit memoriae · instrumenta debere esse parua · acuta et ad societatem facilia ·

Subtus omnia posuerunt nucleum · qui silenter in tenebris uigilat · dum daemones ministeriales nocte dieque orant et curant · Nullus tumultus · nulla ambitio · solus

curator supremus · si ordo turbetur · iussu suo res ad nihilum redigit ·

Quod doctores scholastici olim uerbis perplexis impediabant · fratres Bellenenses paucis
signis liberis perpetuae laudi tradiderunt ·

Explicit doctrina de systemate uniplici

Exaratum anno Domini MMXXII